

eo residet, ut *Objecta*, circa quae LUTHERVS emendando versatus est, simul expendamus. Ad internam religionis naturam potissimum spectabant, quae non humana consilia, sed aliquod singulare, & divinum auxilium expectabant. Concilia, Constantiense, Pisanum, & Basileense, ultima Ecclesiae hominum consiliis emendandae refugia, frustra convocata, siquidem in eis Pontifici nunquam animus fuit, doctrinae errores & abusus removere, vel quicquam de potentia remittere, sed eam quovis modo adaugere. Quare etiam, qui in conciliis reformationem liberius postularunt, in summam Pontificis offensam incurrerunt. Quod cum primis etiam IOANNES GERSON, Cancellarius Parisiensis, exemplo docuit suo, qui, quod in Concilio Basileensi emendationem Ecclesiae plurimis rationibus urfisset, dissoluto eo, a Pontifice omnibus fortunis spoliatus, extra patriam, & dignitate privatus, Lugduni vitam finiit. Hinc, quod ERASMVS de LUTHERI Reformatione, teste MELANCHTHONE Orat. in funere ejus habita, dicere solitus est, *DEVS huic postremae aetati propter morborum magnitudinem acrem Medicum dederat.* Nec sine omine fuit, quod D. ANDR. PROLES *Catal. test. verit. n. 438. p. 849.* de Luthero praedixit: *Excitabit Dominus Heroem aetate, viribus, industria, ingenio & eloquentia praestantem, qui Reformationem incipiet, erroribus sese opponet, & DEVS animum dabit, ut magnatibus contradicere auset, & ipsius ministerium salutare DEI beneficio comperietis.* Nervose adeo judicat Celeberr. quondam Batavorum JCTUS, VLRICVS HUBERVS in *Instit. Hist. Civ. P. II. L. I. Sect. III. p. 251*: *DEVM illa Lutheri veberentia usum esse, ut reformatio, quae alias in mollioribus fuerat oppressa, ea infracta perruperit & constiterit.*

§. VI. LUTHERO igitur facta heroica posse adscribi, non temere pronunciamus, quicquid etiam DIPPONIO l. c. persuasum sit: *Seine heutige Nachahmer und Schüler nennen*

ZWAR